

249.

211. 60. 4

1687, 5 1/2

6 /

DISSERTATIO
De
FIDE
SERVANDA,

quam
in
ALMA PHILUREA

Benevolo permisso
Inclutæ Facultatis Philosophicæ,
SUB PRÆSIDIO

M. GOTHOFREDI
Gleitsmanns /

Leucop. Misn.

Fautoris sui perquam honorandi,
publicæ placidæq; συζητήσεως

IV. ~~Præd.~~ Calend. Jan. M. DC. LXXXVII.

subdit

A. & R.

SAMUEL FRIDERICUS Fischer /

Ponicio - Altenb. Misn.

Phil. & SS. Theol. Stud.

Alumnus Trillerianus.

LIPSIÆ,

Stanno WITTIGAVIANO.

1/2



REVERENDISSIMO, SERE-
NISSIMO CELSISSIMO QVE
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO
MAURITIO
VVILHELMO,
DUCI SAXONIÆ, JULIACI,
CLIVIÆ ET MONTIUM,
EPISCOPATUS NUMBURG. CIZENS.
POSTULATO ADMINISTRATORI,
LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ, ET
UTRIUSQUE LUSATIÆ,
PRINCIPALI DIGNITATE
COMITI DE HENNEBERG,
COMITI IN MARCA ET
RAVENSBERG,
DYNASTÆ RAVENSTEIN! &c.
PRINCIPI ac DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO,
PERENNEM. FELICITATEM!



*SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,*



Vicerunt tandem vota mea, & quicquid a Deo Immortali precatus sum, abunde tenui. Vixi hucusque in optimarum artium studiis, quo naturæ inclinatione propendebam, jucundissime; quæ tamen ab initio statim plurimum detrimenti capere necessum erat, cum ex præmaturo B. parentis mei obitu, tum aliis difficultatibus maximis. Adversante fortuna, omnibusque subsidiis deficientibus, quid quæso assequi licet? In scopulo certe hærendum est, nec facile progrediendum. Unde, quicquid jam sum, & quantum quantum esse potero, totum aliis ut tribuam, ipsa exigat pietas. Cuius
autem

A 2

autem

autem est, quæ hanc meretur laudem, utpote cuius benignitatis aura secundo cursu sum pervectus & adhuc pervehor. Inprimis concelebro tam prolixam tamque beneficam *MAURITII, PRINCIPIS QVONDAM CLEMENTISSIMI*, in me voluntatem, quam satis perspectam habui in eo, quod mihi extraneo, submisseroganti, aditum scholam suam Episcopalem, quæ Cizæ floret, frequentandi clementissime concedere voluerit. Quo sane nihil optatius, nihil tunc temporis ad studia mea sustentanda, cum ruinosa viderentur, opportunius potuisset accidere. Reliqua beneficia, quæ in me ad studia commodius pertractanda extiterunt ut fileam, cum majora sint, quam ut verbis possint efferri. Totus enim eram in ejus Serenitatis beneficentia, quæ deinceps me etiam movebat, ut studiis meis Academicis tanquam numen propitium esse ad futuram spe præsumerem, absque qua adhuc non fuisset, unde pertexere potuissem, quam cœpi, studiorum telam. Hinc statim, cum *MAURITIUS* ille Beneficentissimus morte occumberet insperata, Musæ meæ oblangvescere videbantur, nisi spe nova ex novo Principe, maxime ad istas propenso, fuissent recreatæ. Quo autem Principis nomine *Te, MAURITI WILHELME*, honorificentissime appellatum volo. Satis enim notum erat, *Te, SERENISSIME PRINCEPS*, ea etiam esse natura, ut natum Te existimes ad Musas excitandas pressasque promovendas. Quapropter & Musæ meæ satis afflictæ se supplices quasi Tuæ Serenitati commendabant, spem certam ex Tua Clementia habentes, aliquod subsidium esse impetraturas. Ita quoque contigit, ut sperabant: responsum enim fuit,
Tuam

Tuam Serenitatem Celsissimam, literis supplicibus ad-
ductam; subsidium quoddam, quod stipendium voca-
mus, decrevisse in trium annorum usum. Pro quo, per bi-
ennium nunc quoque erogato, tam insigni beneficio, quas
gratias debeam Tuæ, *PRINCEPS SERENISSIME*,
Celsitudini facile video, quas autem agere possim, non
reperio. Quod tamen in me est, ut meritum Tuum
memoria colam, id si omittam, nefario me scelere devin-
ctum putabo. Ut vero Tuæ Serenitati insimul patefcat,
gratiam eam, quam non remunerando, sed deprædican-
do illustrare suscepi, non male locatam fuisse, specimen
leve hac disputatione exhibere volui, ita, ut nomen Tuæ
Serenitatis habeat appositum, & ab ipso tutelam ac splen-
dorem sibi mutuetur, firma nixus fiducia, id etiam Tuam
Clementiam esse indulturam, ut hanc disputationem be-
nevolo accipias vultu, ceu cultus subjectissimi censum, a-
nimumque non immemor beneficiorum testem. Sic feli-
cem, sic beatum se judicabit, qui Tibi natus est, Tibi vi-
vit, Tibique humillima obsequia præstare discupit. Deus
supremus Te, *PRINCEPS SERENISSIME*, una cum
tota Celsissima Familia sanum, omni que ex parte sospi-
tem ac florentem tum Reip. tum meæ tenuitatis commo-
do, hoc novo, qui jam imminet, & quam plurimis subse-
cuturis annis clementissime conservet! Id quod ex ani-
mo precatur

**TUÆ SERENITATI
CELSISSIMÆ**

Datum Lipsiæ

Prid. Cal. Jan. M. DC. LXXXVII.

Subjectissimus

SAMUEL FRIDERICUS Fischer.



PROOEMIUM.

NE mireris, Lector Benevole, quod primitias Academicas exhibere iussus, tale tibi argumentum proponam, quod illis, qui rara tantum desiderant, minus fortasse an futurum sit ad palatum. Quantumvis enim variis modis a quamplurimis summæ eruditionis viris de eo jam dictum scriptumve fuerit; Sublimitas tamen illius cum utilitate conjuncta efficit, ut de eo satis dici vel scribi vix posse arbitrer. Fidem certe justitiæ, in societate politica ad Reip. salutem exercendæ, partem haud postremam esse, nemo facile negabit. Agnovit hoc gentilis Poëta, quando excellentiam ejus commendaturus sic loquitur: *Maxima rerum*

Verborumque fides.

Arabes atque Persæ eam tanti æstimarunt, ut vinculum humani confortii, fide sublata, plane dissolvi ac dirumpi putarent, eaq; de causa illam omnibus aliis præferrent comodis, veras ac solidas opes in solo hoc venerabili bono collocantes. Imo etiã gentes reperias, quæ Fidem pro salutari Numine habuerint, albo eam panno velantes, nec non ei peculiariter ædem sacantes. Conf. Horat. Od. 35. l. 1. Ut alia omittam, quæ ad ostendendam hujus materiæ dignitatem facere videntur. Neq; tamen omnis ei raritas deneganda est. Si enim suo tempore Poëta modo dubius,


Siqua est, quæ restat adhuc mortalibus usquam

Inteme rata fides.

modo audacter cecinit:

Nusquam tuta fides:

Quid quæso putas de hoc seculo dicendum esse? Difficulus sane invenias, cujus fide niti possis; cum omnis in auras evanuerit, nosq; inter homines malos ac argutos, & qui ex dolo, mendaciis, simulatione, fraude, fallaciis constare toti videntur, cogamur vivere. Hinc illæ lites, hinc illæ clades, hinc illæ lacrymæ! Quo vero illud venenum tollatur, necessum est, ut fidem quilibet servare discat. Quocirca thema hoc de fide servanda præ reliquis mihi hac vice placuit; idq; ita conabor pertractare, ut nominibus prius explicatis primarias circumstantias (v. g. Subjectum, Objectum personale, Objectum Reale s. Materiam, Formam ac Modum, nec non Finem) breviter declarem, declaratas, sicubi opus, ab objectionibus liberem, ac tandem definitionem præstationis fidei subjungam, ab opposito illustratam. Deus Triunus, in cujus gloriam huncce laborem unice suscepi, mihi clementer adsit!



§. 1.

FT nonnulla de nominibus proferamus; circa prioris vocabuli Fidei originationem Stoicos adire non erubescimus, qui fidem inde dictam censent, quod fiat, quod promissum est dictumve ab alio. Vid. Cic. l. 1. de Offic. n. 23. & lib. de Rep. Quamquam alii cum Vossio l. 2. Instit. Orat. p. 243. hanc vocem a Fido derivare malint, eo quod fides sit commendatorum fida executio vel observantia; vel quod alter alteri fidat, nec dubitet, quin id, quod promissit, sit præstiturus.

§. 2.

Hanc ipsam vocem varie a variis usurpari, neminem facile fugiet. Theologis placet ille imprimis significatus, quando fiducialem assensum eorum denotat, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria. Patres pro fidei formula scripto comprehensâ accipiunt. Vid. Hilar. Lib. ad Constantium. Apud Oratores modo notat persuasionem seu firmam opinionem; modo iustitiam in rebus creditis; modo defensionem & tutelam. Ut alias significationes, apud Ictos præsertim obvias, taceamus. Nos pro eo, quod verum & firmum est, & perfidiæ opponitur, atque aliàs fundamentum iustitiæ, animi integritas, dictorum conventorumque; constantia & veritas &c. vocatur, accipimus.

§. 3.

Circa posterius vocabulum, id est Servare, vix est, quod moneri possit. Quamvis enim & ipsum variis significatibus (qui in Lexicis facile inveniri possunt) subjaceat; quivis tamen videt, præstandi significationem hic loci obtinere, ita ut servare fidem idem sit ac præstare fidem, solvere fidem: cui frangere fidem, labefactare fidem, afficere fidem, opponitur. Vid. Petr. Muller, de Fide Fragta c. 1. §. 3.

§. 4.

Terminis ita breviter explicatis, ad ipsam rem accessum facimus, ante omnia de Subiecto solliciti, seu de eo, qui fidem servare debet. Hic ille ipse est, qui fidem ita dedit, ut ejus voluntas ab intellectu de circumstantiis promissionis plene fuerit informata; i. e. qui sciens & volens promisit. Vid. Excell. Dn. D. Alberti Compend. Jur. Nat. part. 2. c. 6. p. 110. Qui enim rem perfecte non cognoscit, adeoque nec plene velle potest, is tantum abest, ut promissa servare teneatur, ut promittere plane non debeat. Hinc nulla est fides infantum & impuberum, nulla amentium & furiosorum. Conf. Hug. Grot. l. 2. c. 11. §. 5. Quod enim ad infantes attinet, in illis usus rectæ rationis desideratur. Quò fit, ut ne illarum quidem propositionum, quarum cognitionem hominum animis ipse autor naturæ quasi in sevit, simplices terminos apprehendere possint. Multo minus ergo poterunt conclusiones, ex illis propositionibus eruendas, vel inductive, vel syllogisticè formare. Sic cum infantes ignorent, quid dicatur jus suum, quid, unicuique esse tribuendum; utique nec propositionem hanc: Unicuique jus suum est tribuendum, intelligent. Quid quæso fiet in illo, fidem esse dandam & servandam? Uti autem ipsi nihil intelligunt; sic etiam ab aliis aperte intelligi non possunt, propter maximam verborum imperfectionem; unde etiam a non fando nomen accepisse nonnullis dicuntur. Conf. Excell. Dn. D. Ittig. Disp. de Fide Aphor. 4. §. 2. Incapaces etiam promissionum judicantur impuberes, quia iudicio & animi destinatione privantur. Notant quidem nonnulli, Ebræos illam fidem validam dixisse, quam dedisset adolescens, qui annum implevisset decimum tertium; & puella, quæ duodecimum: Rectius tamen tales à fidei præstatione tamdiu rejiciuntur, quamdiu iudicium & ratio se non exerit. Sic etiam tanquam ad fidem præstandam ineptos rejiciendos esse diximus Amentes; non quod totaliter careant mente seu ratione, sed quod in mente aliqua perturbatione ita moveantur, ut quid agant, quidve dicant, cernere non possint. Differunt hi a Furiosis, quod illi vivant vitam quietam, nullaque signa extrinsecus ostendant; hi vero nimio quodam animi fervore agantur, eumque signis externis manifestent. Ubi tamen discrimen inter furiosos observandum est. Alii enim

enim

enim in perpetuo furore sunt, & ob continuam mentis alienationem omni intellectu carent. Atque his plane fidem præstandam abjudicare oportet. Alii vero sunt, quorum furor dilucida habet intervalla seu inducias; quibus adhuc aliqua fidei præstandæ potentia concedi potest, ita tamen, ut illa potentia non prius in actum deduci possit, quam furor iste, Ciceroni aliàs in Tuscul. Quæst. cæcitas mentis dictus, expulsus fuerit. Cujus expulsionis modum ridiculum apud Anglos usu receptum memorat Bodinus Theol. Nat. lib. 5. & lib. 5. de Rep. c. 1. Quod de Furiosis dictum est, certa ratione etiam de Amorosus, Iraeundis, & Ebriosus, quatenus rationis usum perdidierunt, dici poterit. Quæ vero de Prodigio legaliter, de quo apud Jctos dicitur: is, cui bonis interdictum est, non potest promittendo obligari, proferri possent, consulto omittimus. Ex his etiam illud colligi potest, quod nulla promissio, quæ ex vi (unde nomen fidei violentæ sive invitæ, quæ spontaneæ opponitur) aut ex metu aut ex errore facta est, jure naturæ obliget; quoniam ibi legitima dispositio voluntatis, hic autem intellectus deest. Dicimus autem, jure naturæ. Promissionem enim ex vi aut metu factam Jure Gentium propter necessitatem validam fieri, negari non potest.

§. 5.

Cæterum is, qui fidem servare debet, potest esse persona vel publica vel privata, (quo respectu fides etiam in publicam, quæ a persona publica publico nomine fit, & privatam, quam quisvis homo privatus aut suo, aut alterius privati nomine interponit, dividi solet.) Illa vel potestate gaudet communicata, ut Ministri Magistratum; vel propria, sive sit Rex in Monarchia, sive sint Optimates in Aristocratiâ, sive sit totus populus in Democratiâ. Ut enim in omnibus fides necessaria est; ita maxime in magistratu suspicione carere, sancta & inviolabilis esse debet. Ruina sane Reip. immineret, si illi fidem negligerent & violarent, qui eam maxime tueri tenentur. Ita enim fieri solet, ut id, quo hæc regio abundat, alteri desit, nec eadem tellus omnia proferat: inde permutationes in populis & commercia vigere solent. Jam illi pro-

B

cul

cul dubio miserrimi erunt, de quorum fide dubitatur: quandoquidem ab eorum conversatione & commercio quilibet abstinet. Quare nonnullis Principum fides idem valet, quod aliorum hominum privatorum jusjurandum. Quamvis in hisce provinciis personarum illustrium promissiones tantum pro nudis promissionibus, minime autem pro juramenti habeantur, in ejusmodi videlicet causis, ubi verum & solenne juramentum requiritur. Conf. Dn. D. Ittig. l. c. Aph. 4. §. 6. ubi simul rationes binas Mynsingeri refellit, quibus eminentiam & prerogativam Principum quoad interpositionem fidei probare conatur. Nullo modo ergo Principi licitum est, semel datam fidem rescindere. Quia veluti suo juri aliquid per conventiones detraxit, atque id subditorum juribus addidit. Equidem solet alias Principibus jus Domini eminentis in res & jura subditorum (adeoque etiam in jus, quod ex promisso ortum est,) tribui; verum hoc ita generaliter fieri non debet, sed attendendum est ad id, quod in Rep. plerumque conducit. Conducit autem fidem omnino servare: alias enim Reip. presentissimus immineret interitus. Fidem etiam servare debent privatae personae, in quacunque societate sint constitutae, sive in paterna, sive in herili, sive in nuptiali. Quo etiam referri debet magistratus ipse, si scilicet in promittendo circa privata negotia occupatur. Tales vero fidem dare potuerunt sive per se ipsos, sive per alios, qui ipsis loco organi vel instrumenti sunt, mediante quo mentem suam aperire possunt: Et ejusmodi sunt Legati, Procuratores, Institores, Mandatarii &c. Per has personas quis voluntatem suam innuere potest non una ratione. Interdum enim strictissime observare tenentur, quae ipsis fuerunt circa promittendum imposita; interdum licitum est iis libere agere, quatenus mandatum non tam rigide terminis ac limitibus circumscriptum fuit, sed quatenus iis sine omni contradictione quavis facultas est concessa, quae ad libere agendum requiritur. Huc ergo referendae sunt distinctiones inter mandatum (1.) sine libera facultate agendi & cum libera; (2.) generale & speciale; (3.) tacitum & expressum; (4.) praesenti & absentida-

datum &c. Quantumvis vero interdum accidat, ut aliquis limites mandato positos non observet, sed aliquid promittat, quod promittere non debebat, uti Legati aliquid nonnunquam nomine suorum principalium promittunt, quod in mandatis non habent: Nihilominus tamen etiam ex tali promissione principalem teneri judicamus, hac tamen addita limitatione, ne illa excedens promissio nimium a principalis voluntate recedat, sed ad ea respiciat, quæ forte ab ipso Principe, si adfuisset, admiffa essent. Grot. l. 2. c. 11. §. 12. Quemadmodum vero per alios fidem dare possumus; ita etiam eandem per alios præstare sive servare licebit.

§. 6.

Quod ad formam antecedentis promissionis attinet, illa omnino debito modo fieri debuit, ut intentio & animus promittentis sufficienter fuerit indicatus, & is, cui promissimus, rite annuere vel abnuere potuerit. Hinc patet, quod vel calamo, vel nutibus, vel ore (en! fundamentum distinctionis inter fidem expressam & tacitam) aliis aliquid promittere possimus. Ut enim Aristoteles, Nicom. X. 9. de legibus inquit: *γεγραμμένων ἢ ἀγράφων, ἰδὲν αὖ δόξαι διαφέρειν*. Ita etiam nihil interest, sive scripto sive non scripto aliis nos obligemus, modo alter homo mentem nostram sufficienter capere possit. In specie quoad signa & nutus, quos tam muti, quam etiam alii in promittendo adhibere possunt, observandum est, quod illi certi pariter atque perspicui esse debeant: incertis enim, fallibilibus & obscuris animum nostrum proximo sufficienter aperire nequimus. Conf. Ambros. l. 3. Offic. c. 11. Hæc autem tantum de actu promissionis, quatenus ille humanus est, h. e. quatenus ab homine homini aliquid promittitur, velim accipias. Si enim Deo, tanquam cordium scrutatori, aliquid promittere cupias, etiam internus animi tui actus potest sufficere.

§. 7.

In specie quoad actum promittendi, qui per verba fit, notandum est, quod abesse debeat omnis malitiosa & affectata æqui-

vocatio, quæ vera obscuris involvuntur, animusque superfluis vel implexis atque ambiguis occupatur, (Conf. Ambros. l. i. offic. c. 26.) una cum reservationibus, quas Moralistæ vocant, mentalibus. Hæ enim ambiguitates non tantum veram locutionem tollunt, sed & fidem aperte lædunt.

§. 8.

Commode etiam hic loci mentionem faciemus duarum distinctionum. Prior est inter pollicitationem & perfectam promissionem. Quarum illa est, si alteri quidem aliquid serio actu benefico promittimus, ita tamen, ut ei nullum jus tribuamus ad illud exigendum, quod ei promisimus. Sic se habent promissiones patronorum, quando promotionem vel commendationem pollicentur. Ubi quidem serio agunt; nullum tamen alteri jus ad exigendum promissum tribuunt. Hæc autem est, ubi non tantum serio promittimus, sed etiam simul obligatione premimur; dum proximo jus conferimus ad illud exigendum, quod ipsi polliciti fuimus. Utrobique ad præstationem fidei sive promissa servanda obligamur. Posterior distinctio est inter promissionem sive fidem juratam & non juratam. Illa cum juramento conjuncta est; hæc eodem caret. Nimirum quantumvis promissio jamjam per se hominem obliget; nonnulla tamen eidem fuere supperaddita, quæ perfidiam atque fallaciam hominum declinare atque eum, cui fit promissio, de promittentis fide securum reddere queant. Atque inter ea, præter oppignorationem, fidejussionem certasque promittendi formulas [quæ hic exponere non licet] notatu dignum est Juramentum, quo homo se ipsi Deo, tanquam justissimo ac omniscio judici, propter alium hominem licite obligat, ut omnis incredulitas & dubitatio, fallacia & perfidia tollatur, & ad fidem in promissis servandam validissime adstringamur; quod alias Jus Naturæ per se, etiam sine Juramento, requirit. Cuius autem patet, quod juramentum tantum promissorium hic intelligamus. Reliqua enim juramenta, e. g. testificatorium, purgatorium, litis decisorium, & si quæ sunt alia, huc non pertinent. Caterum etiam fides interponi potest per conventionem, quæ obstrictior est, quam nuda

nuda promissio, & aliàs definitur, quod sit actus permutatorius cum mutua obligatione. Conf. Grot. l. 2. c. 12. Dividiturq; in publicam, quæ fit autoritate publica, & privatam, quæ a quocunq; super re quavis fieri potest, sine publica autoritate. Ad illam referantur Sponsiones, Fœdera aliæque Pactiones, imo etiam certo modo Capitulationes sive fundamentales leges, quibus novi magistratus obligantur. Quamvis de his disceptari soleat, conventionesne an leges appellandæ sint. Vid. Strauch. Exercit. Exoter. de quæst. Illustr. sup. Sec. IV. n. 27. & adde Excell. Dn. D. Albert. disp. i. de fide hæreticis servanda Th. 17. seq.

§. 9.

Ut promissio licita evadat, scopum hunc in ea respicere nos oportet, ut utilitatem partium vel utriusque vel saltem alterius observemus, neque proximo ullum damnum per eam inferamus. Cum enim fides eum in finem dari debeat, ut officia mutuo exhibeantur, facile elucescit, eam sine cujusquam præjudicio vel detrimento dari debere; quia cum hoc mutua officiorum exhibitio consistere minime potest. Quare mendacium perniciosum, quo alteri directe noceamus, a promissione abesse debet. Sic etiam, quando in fœderibus interdum accidit, ut alteri contra tertium aliquid polliceri cogaris, illa promissio, si Jure Naturæ licita esse debet, ita comparata sit, ut primario, per se & directe utilitatem innocentis respiciat, damnum vero tertii non nisi per accidens & obliq;. Quapropter illud fœdus, quod Christianus innocens, bellum defensivum justum contra alium nocentem Christianum gerens, adversus eundem cum gentili, vel Muhammedano init, improbari non potest. Quantumvis enim aliquid religioni Christianæ damnum immineat; summus tamen necessitatis casus (dum nihil superest, quo innocentiam tueri possimus,) fœdus ejuscemodi licitum reddit, modo per se ad innocentis commodum tendat, ut nervose docet laudatus Præceptor noster Dn. D. Alberti l. c. §. 22. 23.

§. 10.

Cumque supra plus vice simplici obligationis (quæ aliàs fidei datæ vel promissionis effectus dicitur, & nihil aliud, quam

B 3

vincu-



Vinculum juris est, quo velut necessitate quadam alteri adstringimur rei cujusdam præstandæ.) mentio facta fuerit; non inutile erit, si distinctionem inter obligationem Moralem & Civilem paulisper exponamus. Moralis conscientiam respicit, quippe sine cuius vulneratione vel læsione illud omittere vel committere non possumus, ad quod moraliter obligamur; cum contra ad illud tantum civiliter obligemur, quod sine violatione juris in altero vel omittere vel committere nequimus. Moralis est tantum in pollicitatione; utraqve vero tum Moralis tum Civilis in perfecta promissione obtinet. Conf. Magnif. Dn. D. Ziegler. dissert. de Obligationibus in genere c. 2. §. 5. seqq. ubi distinguentes inveniunt obligationem in naturalem, mixtam, & mere civilem. Quamquam autem tam pollicitationes, quam perfectæ promissiones de jure impleri debeant; fieri tamen hodie solet, ut illæ rarius, quam hæc impleantur. Ratio in promptu est: quia in his datur jus exigendi, quo illæ destituuntur. Conf. §. 8. Et quoniam exigendi jus magis contra plebejos, quam potentiores urgeri potest; hinc fit, ut etiam perfectæ promissiones sæpius ab his, quam ab illis eludantur. Atque hæc occasione Subjecti, quod fidem servare debet, de modo, scopo & effectu promissionis adduxisse sufficiat.

§. II.

Ordo jam requirit, ut solliciti simus de Objecto personali sive de illo, cui fides est servanda. Hic dicimus, fidem servandam esse omni homini, quatenus est homo; Vid. Senec. de benefic. VII. 16. cui nimirum promissio est facta, & quasi jus ad rem concessum, cujusque status & conditionis sit, sive sit magistratus sive subditus; ita ut nec hostes, piratæ, prædones, hæretici, schismatici, & infideles &c. pravis etsi accidentibus inquinati, sint excludendi, quatenus sunt obligationis ex promisso capaces, atque in iis consensus reperitur. Quemadmodum enim in promittente adesse debet scientia vel volitio, quia actio est spontanea; ita etiam utraqve in illo, cui promittitur, necessario requiritur vi reatorum, (quo respectu etiam fides in datam & acceptam, sive activam & passivam, distingvi solet) ut examen instituat non solum per-

personæ promissoris, quæ hoc vel illud promittit; sed etiam res ipsius, de qua convenire animus est, utrum dolus subsit, nec ne.

§. 12.

Hostibus ergo (1) in specie si fides promittitur, servanda est; ex ea ratione, quia hi semper homines manent, quantumvis nobis bellum inferant. Quis autem neget, homines juris ex promisso capaces esse? Conf. Grot. l. 3. c. 19. §. 2. Dubium equidem oriri posset ex eo, quod licitum sit hostem interimere, quoniam unusquisque hostis alterius hostis vitæ infidias fruit, vel saltem struere præsumitur. Si ergo quis semetipsum defendat, hostemque occidat, videtur id jure suo facere, ne scilicet ab eo circumventus, vita sua ipse privetur. Si igitur licet hostem enecare, multo minus contra naturam erit, eum si possis spoliare, ipsique res & jura (inter quæ etiam jus ex promisso ortum est) auferre. Conf. Cic. l. 3. Offic. Quamquam autem ad hanc objectionem quidam ita respondere solent, ut distinguant inter fidem, quæ hosti datur publico nomine, & inter eam, quæ datur privato; dicentes, illam tantum, nullatenus vero hanc servari debere; attamen hæc solutio dubium omne tollere minime videtur: quandoquidem constat, etiam privatas personas suis juribus gaudere, quæ obligationem parere queunt. Cum ergo etiam hostes ad jus consequendum idonei sint; nihil video, quod obligationi obesse possit. Grotius quando l. 3. c. 19. §. 11. 12. ad hanc quæstionem accedit, eam plane non solvit, fortasse ea de causâ, quia pro frustraneâ habuit; cum eo ipso, quæ hostes de hac vel illa re hostibus fidem dant, respectu illius promissi non amplius pro hostibus, sed potius pro amicis sint habendi. Idcirco promissa illa servanda esse dubitari nequit. Inde apud Romanos nomine civis indignus plane habebatur, qui jura hostium rumpere, uti ex Germanici Oratione ad milites habitâ ap. Tacit. l. 1. Annal. c. 42. patescit.

§. 13.

Diximus (2.) fidem datam etiam prædonibus atque piratis esse servandam. Nam & hic ille, qui fidem dedit, in eam absolute circumstantiis perpensis consensit, quamvis illatus timor illi promissio-

missioni anam dederit. Prætulit enim minus malum majori, dum v. g. certam pecuniæ summam promittere, quam vitam perdere maluit. Inde etiam quamplurimi inter Juris Naturæ doctores pactum ejusmodi validum esse judicant, quia ex utraque parte tam promittentis, quam illius, cui fit promissio, fit voluntarium. Quamvis nonnulli aliter hic pronunciandum esse censeant. Vid. Excell. Dn. L. Mencken. discurs. in Tab. XI. B. Jac. Thomasi. Multo magis autem ejusmodi hominibus fides servanda est, si ei juramentum fuerit additum. Adversus Deum enim, cujus nominis in juramento mentio facta fuit, nulla unquam valet exceptio, sed quilibet potius per suam in Deum pietatem ad exsolutionem fidei datæ obligatur. Sunt equidem, qui statuunt, promissori licitum esse, illud quod solvit atque præstitit, per restitutionem in integrum recuperare; dubitari tamen potest, annon verba in juramento cum effectu accipienda sint. Conf. Grot. l. 2. c. 13. §. 15. Obstat autem huic nostræ sententiæ imprimis Cicero de Offic. ubi asserit fidem latronibus datam non modo non esse servandam, sed eum quoque, qui servat, injustitiam committere. At enim vero quis non videt, melius esse, injusta pati, quam injusta agere; melius, a latrone iniquè affligi, quam fidem suam frangere? Hinc Bodinus ipse, qui alias non vult cum latronibus ac piratis ullam fidem aut commercium esse, aut perjurio teneri, qui prædonibus pactum pro capite pretium non attulerit; Remp. tamen datam latronibus fidem frangere salva dignitate sua vix posse, simul asserit l. 5. de Rep. c. 6. n. 604. Clarius Cæsar l. 3. hac de re, Quis dixerit, ait, si quid convenisset, nullam inde exituram fuisse obligationem?

§. 14.

Statuimus (3.) etiam hæreticis (sub quibus quoad hoc negotium Schismaticos comprehendere licebit) fidem esse servandam. Tamen si enim negari non potest, cuius hæresi insignem inesse malitiam, quippe quæ in Deum ipsum tota dirigitur; unde etiam hæretici alias in statu civili satis pravæ sunt conditionis: Integrum tamen fidem hæreticis omninò servandam esse recte pronun-

nunciamus. Id enim in genere facile probari potest ex indole
& natura Conventionum & promissionum. Erga illos certe, si ho-
nestas salvari debet, mendacio uti non licet; multo minus ergo
licitum erit, illis id promittere, quod servare nolum, vel fidem datam
plane frangere. Ejusmodi autem promissio hic loci intelligenda
est, quæ a Magistratu in publico negotio facta est, in quo temerari-
um quid non facile committeretur. Quo loco non possumus non
testimonii Jesuitæ Becani mentionem injicere, qui in Manuali
Controvers. l. 5. c. 15. ita concludit: Si jam pactum & fides hæretico
data sit, sub hoc prætextu, & si nihil aliud obstet, quam hæresis,
non esse integrum, resilire a fide conventionis. Subjungit etiam
argumentum: quia illa obligatio pacti ex triplici oritur virtute,
nempe veritatis, fidelitatis & justitiæ. Veritas ad hoc obligat, ut non
fictæ, sed sincere promittas, ne mendax sis: Fidelitas, ut promissa
opere adimpleas, ne fias perfidus: Justitia, ut alteri tribuas
jus suum ex conventionem quæsitum, ne injustus sive injuriosus sis.
Hæ virtutes autem obligant eo etiam casu, quo cum hæreticis paci-
scaris. Nunquã enim licet mentiri, nunquam perfidum esse, nunquã
alterius jus violare sive injuriam facere. Et sane, si semel concederes,
hæc ideo licite fieri, quia hæretico mentiris, hæretico perfidus es,
hæretico injuriam facis; quidni consequenter concedas, licere tibi
hæreticum occidere, furto res ejus auferre, odio eum prosequi? Quæ
omnia absurda sunt, & divinæ legi repugnantia. Hæc bene Becanus,
qui etiam alibi similia profert. Quia ergo hæreticis injuriam inferre,
eorumve jus violare prohibemur, sequitur, quod illis etiam fidem
servare Jure Naturæ teneamur. Quæ facile uberius declarare, mul-
torumque autorum sententiis illustrare possemus, si necessitas
illud exigeret, idque ab aliis nondum esset præstitum. Sicut autem
in genere ex natura promissionis paucis declaratum dedimus, quod
fides hæreticis omnino servanda sit; ita hoc ipsum uberius con-
firmari potest ex eo, quod hæretici promissorum omnino capaces
sint, sive ad Jus Naturæ, sive ad Jus gentium respiciamus. Quia
enim hæretici etiam in numero hominum sunt; quos inter natura-
lis quædam cognatio datur, gaudebunt etiam Juris Naturæ com-
munionem, quæ alias hostes nostri, piratæ & prædones, ut patet ex
C ante-



antecedentibus, privandi minime sunt, ita ut æque atque hi juris ex promisso capaces sint, quod ex societate oris & sermonis oritur. Uti autem hoc jus ante factam promissionem ex se & natura sua possident; ita in ipsa promissione & contractu etiam alterum jus adipiscuntur, nimirum obligationem, propter quam promissa ipsis servanda sunt. Ad quod etiam ipse magistratus urgetur, si officii sui dignitatem perpendat; quæ sane pessimo perfidiæ vitio conspurcari minime debet. Et quid porro de gentibus moratoribus dicam, quæ fidem hostibus servandam omnino judicant? Norunt enim, omnium omnino mortalium referre, ut promissa omnia sancte impleantur, pactaque serventur. Quid autem hæretici aliud sunt, quam hostes Dei & omnium vere sanctorum? Si ergo hostibus in genere fides servanda est, (quo de superius actum a nobis est) cur non etiam hæreticis, qui deposita omni civili discordia in sinum Reip. fuere recepti? Cæterum si Pontificiorum, qui nobis aliàs hac in materia adversantur, scripta perlustremus, eorum nonnullos statuere, imo etiam reipsa declarare, inveniemus, licitum esse, hæreticis fidem dare. Jam colligimus: Si licitum est, hæreticis fidem dare; licitum etiam, imo necessarium erit, fidem datam servare. Si autem turpe est, servare; turpius erit, dedisse. Et quomodo quæso a nobis præstationem fidei exigere queunt, quam tamen ipsi observare nolunt? An censebunt, præceptum illud: Suum cuique tribuendum, tantum ad aliquas, non vero ad omnes gentes pertinere? Urgeri etiam tandem contra Pontificios possunt pacta, quæ cum infidelibus ipsi etiam extra casum necessitatis inire solent, non attendentes ipsorum infidelitatem, propter quam foedus dissolvendum sit. Vide exempla nonnulla ap. Magnif. Dn. D. Alberti diff. 1. de fide hæreticis servanda §. 62. 63. Contra Pontificii vulgo contrariam, ut jam inuimus, sententiam tantum propter augmentum Pontificiæ autoritatis & majestatis defendere contra jura naturæ & gentium non erubescunt, asserendo, hæreticis fidem minime servandam esse, sive sint subditi sive magistratus, aut quacunque tandem ratione considerentur, uti decretum habet in Concil. Constantiensi An. 1414. Ut decreta specialiora, ubi certis hominibus ob hæresin ex Paparum opinione data fides non servata est, nec non exem-

exempla, quæ eam sententiam successu temporis valde confirma-
runt, ac præcipue ex historia superioris seculi nota esse possunt, præ-
tereamus. Dux autem classes hujus sententiæ constituendæ sunt,
dum nonnulli ideo hæreticis fidem servandam esse negant, quia
hæretici sunt: nonnulli vero asserunt, hæreticis in religionis nego-
tio fidem non habendam esse, quatenus hæretici sunt. De priori
effato notum est testimonium Contr. Bruni de hæreticis l. 3. c. 15.
quando ait: omnia fœdera, quæ cum diversæ religionis hominibus
ineuntur, nulla atq; irrita sunt. Quod etiam facile exemplis atq;
factis, si opus foret, illustrari posset. Vid. interea Beza de statu re-
ligionis sub Carolo IX. Cromerus l. 21. Gramond. p. 593. Buchanan.
Hist. Scot. l. 16. p. 559. Conf. etiam D. Jacob. Schultes. Tract. de fide
hæreticis servanda. Rittershusius, Robertus Svertius, Rosvvei-
dus & Becanus diss. de eadem materia, ubi etiam statuentes inve-
nias, fidem hæretico a Catholico privato minime servandam esse.
Jam dispiciendum est, quid pro hujus sententiæ confirmatione præ-
ter Constantiensis Concilii decretum contra nostram veram sen-
tentiam allegari possit.

Allegari potest (a) quod fidem frangenti fidem etiam frange-
re liceat. Quæ regula alias habetur pro generali, ac procedit, etsi fi-
des in minimo deficiat; cum mutua fides ita conjuncta sit, ut nul-
lam plane divisionem recipiat, sed una sit propter aliam, & una ces-
sante simul & altera cesset. Jam hæreticus fregit fidem Deo. Ergo et-
iam orthodoxo licebit eidem fidem frangere. Quod sane cum jure
naturæ maxime convenire videtur. Verum si accuratius hanc
collectionem contemplemur, patebit, vacillare consequentiam.
Perpendendum enim hîc est, quæ in re & cui hæreticus fidem non
servet. Scilicet non servat eam Deo, non servat in causa religionis.
Jam non sequitur: Quicumq; hæreticus fidem Deo frangit in ne-
gotio religionis, illi etiam orthodoxus poterit fidem frangere in a-
lio quodam negotio: cum ille Canon: Frangenti fidem fides non est
servanda, de eadem causa, eodemq; negotio sit intelligendus. Nimi-
rum, qui fidem frangit in negotio aliquo, ei in eodem negotio etiam
fides servari non debet; debet interim servari in diverso nego-
tio. Quia ergo hæreticus tantum Deo, cui fidem dedit, eandem fran-

git, sequitur, quod nemo nisi Deus ipsi fidem frangere possit. Fides interim humana, quæ hæretico data fuit, servanda omnino est.

Allegari potest (β) quod hostes, (quales hæretici omnino sunt) fallere liceat. Quo illud Poëtæ referri solet: dolus an virtus, quis in hoste requirat? Verum enim vero responderetur, licitum quidem esse, hostem civilem in statu hostilitatis constitutum per quædam stratagemata fallere; inde tamen minime sequi, quod etiam fidem hæretico (quantumvis hosti spirituali orthodoxiæ, amico tamen in statu externo societatis civilis) datam rumpere liceat. Conf. supra jam allegata, ex quibus hanc argumentationem potius invertendam esse, colliges.

Allegari potest (γ) quod hæreticos propter insignem infamiã (dum hæreseos nomen audiens atrocissimi cuiusdam vitii admone-ri videtur) publico supplicio affici oporteat. Ergo multo magis iuribus ex promisso ortis eos privare licebit. Huc referri merentur, quæ Jacobus Simancha Pacensis Episcopus Instit. Cathol. tit. 46. art. 5. habet: Ad poenam quoque pertinet & hæreticorum odium, quod illis fides data servanda non sit. Imo a nonnullis pro atrociter maleficis hæretici, quin habeantur, parum aut nihil abest. Hi vero secundum jus Naturæ & Gentium a quovis magistratu supremo puniri possunt. Ut secundum eos hæc ratio magistratum non tantum contra hæreticos subditos, sed contra omnes omnino hæreticos armare possit. Ad hanc objectionem ut respondeamus, prius de eo dispiciendum, quid de pœnis & suppliciis hæreticorum habendum sit? Nimirum, Hæreticus vel est blasphemus, vel non est blasphemus. Si prius, supplicio quidem multari potest; sed tantum propter blasphemias, nullatenus autem propter hæresin. Sin posterius, minime potest ob solam hæresin occidi. Confer Pauli monitum Tit. 3. v. 10. item B. Affelm. de Hæreticis ferendis, non auferendis part. 1. Syntagm. p. 613. seqq. & B. Scherzer. Anti-Bell. p. 427. 429. 430. ubi etiam argumenta, a Papæis objici solita, solide pro more refellit. Sed si vel maxime poneremus (in æternum autem non concedendum erit) hæreticos puniri, imo supplicio affici debere, nondum tamen illud acqvirent adversarii, quod desiderant. Nota enim est distinctio inter obligationem juris Naturæ
quoad

quoad justitiæ exercitium respectu voluntatis nostræ antecedentem, & inter obligationem consequentem. Illa est, quando a Jure Naturæ tantum ad exercitium studiumq; justitiæ obligamur, etsi nulla obligatio voluntaria præcesserit: Hæc vero, ubi ita Jure Naturæ obligamur, ut etiam aliqua obligatio voluntaria præcesserit. Hinc fieri potest, ut magistratus teneatur peccantem juxta obligationem antecedentem poena afficere; sed tamen etiam eidem fidem servare vi obligationis posterioris s. consequentis, quæ priori fortior est, atque eam limitare, vel etiam pro circumstantiarum ratione, salva tamen justitia, immutare potest, ceu accurate docet Magnif. Dn. D. Albert. diff. 2. de fide hæreticis servanda § 34. 35. Ponamus ergo, magistratum teneri ad poenam hæreticis infligendam; si tamen aliquando fides data fuerit de iis non lædendis; tum illi certe jure hominum communi privari non debent, sed fides data iis tanquam hominibus vi consequentis & voluntariæ obligationis (propter quam antecedentis obligationis effectus cessat) servanda est. Junge prolixè Schultes. Tract. de fide hæreticis servanda c. 5. it. c. 8. & 9. ubi etiam alii objectioni satisfacit, quam hac vice unà cum illa, quæ ex l. 4. §. 3. C. de hæreticis & Manichæis proferri solet, silentio præterimus.

§. 15.

Invenias vero etiam, qui hæreticis, quatenus tales sunt, fidem servandam esse nolint. Atque hi objiciunt, quod fides hæreticis data fuerit super re illicita, nempe super religione, & quæ ad illam referuntur, bonis Ecclesiasticis. Hinc alii (N) propter hæresin fidem hæretico servandam esse negant, ut Bullæ Pontificiæ, & cum illis scriptores inter Pontificios innumeri, quorum nonnulli recensiti sunt a B. Meisner. Philosoph. Sobr. part. 3. c. 7. q. 2. Quam bene autem hoc fiat, ex antecedentibus satis superque colligi potest. Ut taceam, Bullas illas Pontificum, qui potestatem in reges sibi nefarie tribuunt, fidem subdito um Principibus debitam pessime solve- re. Alii (D) alterius religionis exercitium in perpetuum concedi posse, simpliciter negant, ut Toletus Instruct. Sacerd l. 4. c. 22, qui ait, juramenta hæreticis præstita non obligare, si eveniat aliquid, quod est in præjudicium majoris boni, & si status rei commutetur. Rationes vide ap. Erdmann. in Anti-Caramuel. p. 65. Alii (J) alte-

rius religionis exercitium in perpetuum concedi posse, sub distinctione habitaque majorum minorumque obligationum ratione negant, ut Dillingens. in Compos. Pacis c. 5. qv. 29. n. 36. Alii (7) negant, Protestantes jus ad bona Ecclesiastica per pacem consequi posse, iisque adeo tanquam hæreticis a Magistratu Politico super bonis Ecclesiasticorum fidem nullatenus licite dari asseverant. Alii (7) negant, dissentiente Papa Rom., fidem hæreticis licite aut valide vel dari vel servari posse. Quorum Catalogus non exiguus est. Vid. saltem iidem Dillingenses ad qvæst. 28. n. 46. p. 125. Alii (7) propter nonnullas externas causas moventes fœdera ejusmodi pro fide indignis & illicitis habent. Vid. Becan. Manual. l. 5. c. 15. n. 11. Alii (7) etiam ea fœdera, in quibus religioni contrariæ patrociniū promitti solet, servanda esse negant. Ut Anton. Possevinus Epist. ad Regem Poloniæ ap Wolf. Cent. 16. Lectio. Memorabil. p. 844. Has diversas sententiarum, classes ordine commemorasse sufficiat; specialem autem illarum refutationem adjungere super sedemus, cum laudatissimus Præceptor noster Dn. D. Alberti diff. 2. de fide hæret. serv. §. 45. sqq. ferias nobis fecerit. Coronidis loco hic non immerito Caroli V. factum commendamus, qui An. 1521. in Wormatiensibus Comitibus Lutheri, qui tum pro hæretico habebatur, datam fidem sancte servavit, eumque illæsum domum reduci jussit; & cum nonnulli vi Constantiensis Synodi fidem minime servandam esse urgerent, prudenter respondit, fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.

§. 16.

Infidelibus porro (4) fidem servandam esse statuimus. Hinc Grot. l. 2. c. 15. §. 9. 10. ex S. Codice quamplurimis rationibus, exemplis atque testimoniis demonstrat, quo pacto varia fœdera, Deo non renuente, cum infidelibus a Judæis inita fuerint. Sane si fidem infideli frangere fas est, dare certe nefas est: si fidem dare jus est, datam servare oportet, inquit eleganter Bodinus l. 5. de Rep. c. 6. n. 599. Junge Boxhorn. l. 1. c. 11. §. 16. & in explicatione p. 249. Prolixius id etiam alii probatum dederunt, qui ipsi consuli queunt, quando eorum verba huc transferre nobis non libet.

§. 17.

§. 17.

Imo ne illis quidem deneganda fides est, quorum intentio est, alios decipere. Quod Josuæ exemplo potissimum illustrare possumus. Hic cum animadverteret, a Gibeonitis se fuisse decipitum, fidem datam nullatenus solvit, sed potius una cum capitibus populi Israelitis murmurantibus respondit: אנחנו נשבענו להם ביהוה אלהי ישראל ועתה לא נוכל לנגוע בהם: זאת נעשה להם והחיה אותם ולא יהיה עלינו קצף על—
הם: i.e. Juravimus eis in nomine Domini Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem, ut vivant, ne contra nos ira domini concitetur, si pejeraverimus Jos. 9. v. 19. 20. Nec obstat iterum communis illa regula: fidem frangenti fides non est servanda; quia illa solum valet primo, si in eadem causa fiat violatio reciproca. Cujus rei clarum exemplum in S. Codice invenimus, a S. Paulo suppeditatum 1. Cor. 7. 15. ubi ita ait: εἰ ὁ ἀπίστος χωρίζεται, χωρίζεσθε. ὃ δὲ δέσλωνται ὁ ἀδελφός ἢ ἡ ἀδελφή ἐν τοῖς τοιαύτοις, quasi dicat: Si contingat, ut conjux infidelis malitiose conjugem Christianum deserat; tum hic illi fidem conjugii servare non tenetur, cum in ejusmodi jugo servitutis nullatenus sit subiectus. Deinde regula illa locum non obtinet, si tantum simpliciter duæ personæ sibi invicem diverso tempore sine respectu ad antecedentem promissionem aliquid promiserint, sed tum demum, si altera ex obligationibus conditionata sit, ac priorem pollicitationem respiciat. e. g. promittat quis alteri simpliciter 10. thaleros; interjecto autem tempore hic etiam aliquid se illi donaturum juret; tum sane, licet ille fidem suam non servet, hic tamen juramento suo satisfacere & fidem suam implere tenetur, quoniam simpliciter sine ullo respectu ad illius pollicitationem id promisit. Contra si quis alteri aliquid promittat ea lege, si hic suæ promissioni satisfecerit; tum huic frangenti fidem etiam fides ab illo frangi potest: quia illius obligatio conditionata est, atque ab hujus obligatione revera dependet. Quamdiu ergo hic promissa sua servare renuit, tamdiu etiam ille promissa sua servare non tenetur, neque etiam ullo jure præstatio fidei ab eo exigi potest.

§. 18



§. 18.

Minime vero putari debet, etiam maleficos hujus beneficii Jure Naturæ participes esse, ut illis fides danda sit, quæ postea servari debeat. Notum enim est, quod Jus naturæ tam rigidum sit, ut semper poenam, quam requirit, inferendam esse jubeat. Quare illa promissio, quæ poenæ isti obest, ab illo nullatenus approbari potest. Quantumvis Jure Gentium hic contrarium fieri soleat. Interdum quidem contingere potest, ut etiam obligatio promissionis ad dictos maleficos Jure Naturæ extendatur; sed tum demum, si ipsorum facinus ita sit comparatum, ut iis poena salvo Jure Naturæ remitti queat. Sed hæc de Objecto personali sufficiant. Nam etiam ad reliqua pergendum.

§. 19.

Jam ergo quaeritur de Objecto reali, seu qua in re fides sit servanda? Hic (ut omnia nervose complectamur) dicimus, fidem servandam esse in Materia (1) Possibili (2) Indifferente (3) Honesta.

§. 20.

Dicimus (1.) fidem servandam esse in re possibili, quæ servari potest. Promissiones enim rerum impossibilium natura sua sunt invalidæ, cum semper fiant per errorem aliquem intellectus nostri, quo putamus id, quod pollicemur, vires nostras nullatenus excedere, cum tamen revera excedat. Accurate vero hic distingvendum est inter illa, quæ simpliciter sunt impossibilia, & quæ tantum secundum aliquem respectum & certo modo. Dantur enim res, quæ nullius plane hominis potestati subsunt; dantur etiã, quæ sub quorundam solum potestatem cadunt. Quã distinctionem apud ipsum Aristotelem Nicom. VI. 5. III. 7. invenias. De utrisque dicendum est, quod objectum promissionis vel præstationis fidei esse nullo modo possint, videlicet pro ratione & gradu suæ impossibilitatis. Interim cavendum est, ne illas duas species rerum impossibilium promiscue sumamus, vel inter se confundamus. Maximum enim errorem committeret, qui statuere vellet, illud a nemine præstari posse, quod tantum ab hoc vel illo præstari nequit. Hinc etiam distinctio observanda est inter impossibilitatem veram & apparentem, (quam & affectatam seu fictam appellare posses) ubi hæc promissionis obligationem nullatenus impedit vel tollit. Conf. Pufendorff.

l. 3.

l. 3 c. 7. §. 5. Cum ergo res debeat subiacere nostro arbitrio, facile apparet, cur vota de re Deo minus grata v. g. perpetua virginitate &c. concepta non sint obligatoria, nimirum, quia assensus Dei abest; quia defectus ejusmodi vota irrita reddit. Vid. Becmann. Medit. Polit. c. 5. §. 13. p. 75.

§. 21.

Dicimus (2) fidem servandam esse in re indifferente, quæ in se nec moraliter est bona, nec moraliter mala, si nimirum mea potestati sit subjecta, juxta dicta §. anteced. V. g. si alteri promiserim donare gladium, promissis illis stare fidemque meam liberare, Jure Naturæ teneor.

§. 22.

Afferimus (3) fidem servandam esse in re honesta, quæ licite servari potest: nullatenus enim promissio de turpi & illicita causa est obligatoria; quia nullus ad illa se valide adstringere potest, ad quæ facultate morali destituitur. Quis vero dicat, facultatem Moralem circa illas res adesse posse, quæ expresse sunt prohibita? sane id, quod honeste fieri nequit, prorsus fieri non posse censendum est. Consule Slevogt. disp. 8. de esse possibili §. 22. p. 174. Sic quando lamia & venefici diabolo fidem dederunt, illa nullatenus est servanda. Equidem telum necessitatis durissimum interdum efficit, ut liceat impunitatem super re inhonesta valide promittere. Verum hic observandum est, quod ille, qui necessitate vere adactus promittit, non tam egerit, quam passus fuerit. Pati vero inhonesta, cum illa declinare non possimus, non esse inhonestum, recte Dn. D. Alberti Compend. J. N. P. 2. c. 6. §. 24. observat. Sic magistratus ille non peccaret, qui necessitate coactus promitteret, se hanc sine toleraturum, illaque promissa servaret; eum in finem, ut (quod alio modo fieri non potest) orthodoxiam simul conservaret. Qui vero ex Moralists putant, magistratum etiam iuram facientibus atque scortis licentiam promittere posse, illi veram necessitatem allegare nequeunt, sed illius loco falsam obtendunt.

§. 23.

Liceat h. l. inserere quaestionem de fide data vel promissione ab turpem causam, an illa sit obligatoria? v. g. si nefario homini

D

ali-

aliquid promittas, ut homicidium perpetret, ceu Edmundus Jorkius seculo superiori ab Ibarra Hispano magno auri pondere promisso instigabatur, ut Elisabetham Angliæ Reginam vita privaret. Vid. Turco-Papismus in Præf. cujus autor esse dicitur Matthias Sutlivius, ceu Andreas Rivetus Jes. Vapul. a. II. p. 227. attestatur. Huc etiam referenda est illa promissio, si scorto aliquam mercedem promittas, eum in finem, ut corporis sui copiam tibi faciat, uti ex sacro codice (Gen. 28.) Judæ, filii Jacobi, exemplum notum est, qui Thamari nequitiæ pretium promisit. Tales promissiones factæ sunt propter causam turpem & illicitam ab aliis præstandam. Quæstio igitur est, an illæ promissiones ei, qui promisit, obligationem moralem inferre possint, ita ut eo, super quo contractus fuit initus, in actum deducto, illi, cui promisit, fidem servare promissumq; præstare debeat? Sunt sane viri magni nominis, e quibus tantum Grotium l. 2. c. II. §. 9. & Becmannum Medit. Polit. c. 5. §. 6. allegamus, quibus sententia affirmativa arrideat. Nobis tamen licebit ab illis modeste dissentire propter argumenta, ut nobis quidem videtur, minime rejicienda. Primo enim quilibet concedet, promissionem in exemplis modo allegatis omnino turpem esse. Jam si promissio in se turpis est, pro turpi etiam habenda erit obligatio, quæ ex hujusmodi promissione ortum trahit. Nam qualis causa, talis effectus. Si causa honesta, honestus etiam erit effectus; Sin turpis, effectus sane honestus ex ea oriri minime potest. Turpem autem obligationem plane nullam esse in foro morali, nemo facile negabit. Deinde quis non videt, promissarium aliàs ad perpetranda plura ejus generis scelera magis magisque posse inflammari, si deprehendat, hac ratione valide servatis promissis, divitias acquiri posse? Quod certe non fieret, si promissionem illam non obligare, seq; adeo mirum in modum esse deceptum, animadverteret. Scio quidem, quid hic objici soleat; mercedem non ea de causa esse solvendam, quia facinus fuerit perpetratum, sed quia conditio qualiscunq; promissioni, utraqve parte consentiente, adjuncta sit impleta. Verum hac objectione pars adversa nihil plane obtinet. Promissionem enim illam plane invalidam esse oportet, quæ propter conditionem inhonestam facta fuit. Neq; licitum est nobis, a qualitate conditionis abstrahere; quandoquidem de bonitate vel malitia actionis

judi-

judicari minime poterit, nisi prius accurate cognitum sit, utrum conditio bona an mala, honesta an turpis fuerit. Notum enim alias est, quod ad bonitatem actionis moralis perfectam requiratur, ut non tantum hæc vel illa, sed & omnes omnino circumstantiæ morales rite se habeant. Vid. B. Thomaf. Tab. X. Phil. Pract. de Actionibus Moralibus. Imo si tantum ex conditionis qualiscunqve, sive licitæ sive illicitæ, impletione fidem valide dari posse asseras, omnia plane jura admodum labefactabuntur. Profecto frustra sic prohibitum esset, furtum facere, adulterium committere, proximum calumniis proscindere &c. Si enim alteri polliciteris, te ob rem aliquam illicitam, ab illo in actum deducendam, scelera ejusmodi perpetraturum esse, facinora horrenda licita fient. Neque sufficit utriusque partis consensus, quia talis in negotio inhonesto juris effectui plane destituitur. Et nonne consensus in promissione de turpitudine etiam adesse solet, quam tamen validam esse nemo facile vel ex ipsis adversariis asseret? Porro ii, qui contrariam sententiam tumentur, largiuntur singuli, quod ad facinus ipsum, sub cujus conditione fides data fuit, is, cui promissio facta est, propter turpitudinem ejus non adstringatur. Ergo etiam largiantur oportet, quod ille, qui fidem dedit, ad eandem servandam, etsi promissarius facinus, de quo facta est conventio, spe lucri cujusdam perpetraverit, non obligetur. Talis enim actio, quæ tantum ex apparenti quadam obligatione fuit suscepta, tanta efficacia nullatenus gaudet, ut reciprocam inferre obligationem queat. Hinc etiam nihil ab adversariis allegari potest, cujus nomine ejusmodi homo, qui fidem propter turpem causam dedit, obligationem contraxerit. Ad jus naturæ provocare nequeunt, quia hac ratione id semetipsum tollerent, urgendo obligationem ad illud, quod ipsi Juri adversatur. Vetat enim Jus naturæ omnem rem inhonestam, Vetat etiam omnem promissionem propter illam præstitam; Ergo idem Jus promissionem à se prohibitam implendam esse nullatenus urgere potest. Hinc elegantissima sunt Dn. Pufendorffii verba l. 3. c. 7. §. 6. p. 432. Implicat ex obligatione per leges confirmata ali quid necessario debere facere, quod per easdem leges est omittendum. Et voluntas nostra legibus subjecta non potest solo suo actu earundem

vim elidere. Unde peccat quidem, qui illicita promittit; sed NB. bis peccat, qui eadem præstat. Quo pertinent & illa Ciceronis 3. Offic.: Unusquisque nihil promittat inhonesti, & si promiserit, tolerabilius est, promissum non servare, quam facere, quod turpe est. Neque vero exinde sequitur, quod præceptum illud Juris Naturæ: Fides est servanda, sit mutabile. Quemadmodum enim illud axioma Juris Naturæ: Magistratui est obediendum, non immutatur, quando ejus obligatio in illis rebus, quæ legi divinæ repugnant, tollitur; ita etiam hoc nostrum nullatenus immutatur, etiamsi ejus obligatio in turpi causa exspiret. Observandum enim accurate est, quod Juris Naturæ axiomata sibi invicem sint subordinata. Si itaque interdum contingat, ut duo concurrant, quibus simul satis fieri nequit; tum inferius superiori cedit, ita ut hoc illi sit præferendum. V. g. Juris Naturæ axioma est: Suum cuique tribuendum; hoc tamen me minime obligat ad enssem depositum ebrio vel furioso reddendum, quia cedit axiomatico superiori: Nemo est lædendus. Ita etiam hoc Juris Naturæ præceptum: Fides data est servanda, non obligat, quando superiori & maxime generali: Illicita non sunt facienda, cedit cum per datam fidem non nisi honeste talis intelligi debeat. Allegandus hic iterum nobis est Ephorus noster Dn. D. Alberti Comp. J. N. part. 2. Proleg. §. 19. Si dicis, non quicquid vitiose fit, effectu Juris carere. Respondeo per instantiam, quod etiam illa promissio, quæ de re turpi facta est, sic servanda esset, quod tamen ipse Grotius concedere non vult. Quocirca nonnulli oppositum canonem ita limitandum esse censent: nisi scelus & flagitium actionem ipsam plane evertat atque tollat. Hoc enim si contingat, aliquis juris effectus dari nequit, propter defectum principii juris. Conf. M. Weickmann. dissert. de promissione ob turpem causam Wittebergæ hoc ipso anno habita. Quoniam ergo, uti jam monitum est, Lex Naturæ nullam promissionem validam judicat, nisi eam quæ de re licita atque honesta facta est, omnis omnino juris effectus tollitur per vitium, quod in hac substrata materia promissionis validæ essentialia afficit. Vid. Dn. Pufendorf. l. c. §. 8. p. 435. ubi alius effectus juris in illo, qui fidem dedit, mentionem facit. Instas: promissarius tamen mercedem non tenetur restituere, postquam soluta fuit. Resp. Nihil ex hoc contra nos

nos concludi potest. Sane etiam matrimonium, quod illicite initum fuit, non dissolvitur; neque tamen exinde colligi potest, quod legitima ratione fuerit contractum. Dum autem promissarius mercedem restituere non tenetur, id non fit ea de causa, ac si ea iuste tradita & accepta fuerit; sed quia promittens, tanquam Dominus legitimus, mercedem datam alienæ potestati submisit; quod etiam nullo præcedente merito ipsi præstare licitum fuisset. Non autem sequitur: si data jam repeti nequeunt; Ergo etiam propter eandem rationem semel promissa non poterunt denegari. Juris enim translatio (quæ ad id sufficit, ut res dominio derivativo alterius fiat propria) pro valida habetur, si modo plenus illius, qui transfert, consensus adfuerit; neque ullum ad causam respectum infert, qui tamen in promissione ipsa requiritur, ut ex supra allegatis patere arbitramur. Inquis: Per solutio tamen rei promissæ post vitii commissionem non amplius mali illex est; Ergo habenda est pro obligatoria. Resp. negando, quod inde oriatur obligatio: quoniam totus actus vitiatus fuit per additam ejusmodi conditionem, quæ pro moraliter impossibili habetur. Deinde falsum etiam est, quod rei promissæ solutio post peccatum perpetratum ulterius ad peccatum non alliciat. Quamvis enim non amplius possit allicere ad idem numero facinus, quod jam fuit commissum; potest tamen ad alia nefanda scelera, data occasione, suscipienda. Imo si nihil aliud suppeteret, quod solutionem illam redderet invalidam, vel hoc solo nomine improbanda foret, quod sit pensatio flagitii. Repeti hic merentur verba notatu dignissima, quæ ex Dn. Pnfendorffio modò allegavimus; ex quibus facile judicari poterit, multo gravius peccatum esse, talismodi mercedem ob turpem causam solvere, quam promittere; haud secus uti multo gravius peccatum est, peccatum aliquod actu patrare, quam id patrare voluisse.

§. 24.

Sicuti autem materia possibili atque honesta recte intellecta in præstatione fidei posita, tam impossibilem, quam inhonestam removimus; ita ex illis quivis sine ullo labore colligere potest, quod etiam fides servari nequeat in rebus, quæ sub alius sunt potestate; quippe quarum promissio Jure Naturæ simpliciter rejicitur, quia talis vel super re impossibili facta est, si nimirum impleri non possit; vel si possit impleri, in-

D 3

justa

justa est atque illicita, dum proximo suum non tribuit, verum potius eripit.

§. 25.

Observandum porro illud est, quod axioma: promissa sunt servanda, etiam tum locum non obtineat, si materia seu objectum promissionis pervertatur, & in alium statum transeat, quod fieri potest, tum quando ab altera parte mutilatur; tum quando in se & sua natura quoad ea, quæ ad illius essentiam pertinent, immutatur. Prior modus locum obtinet in istiusmodi promissionibus, quas vocamus reciprocas; quales fieri solent in contractibus, pactis & conventionibus, ubi obligatio jam cessat, si altera pars contrahentium tantum aliquam partem fidei datæ vel promissionis servare intermittat. Multo magis vero obligatio mea cessabit, si altera pars in totum promissionem suam neglexerit. Consulendus hic est Grot. l. 2. c. 15. §. 15. & l. 3. c. 19. §. 14. ubi singula foederis capita vim conditionis habere; it. singula unius ejusdemque contractus capita alia aliis per modum conditionis inesse videri asserit. Conditione autem tali non impleta, is, qui illud, quod promissum est, non facit, a perfidia omnino liberandus est. Modus posterior commode illustrari potest exemplo desponsatorum, ubi alter alteri fidem servare non tenetur, si in altero quid inveniat, quo conjugii substantia læditur. Ita non teneor illi fidem servare in supeditandis necessariis ad mercaturam, quos promisi, sumtibus; si intrinsicè semetipsum, alio vitæ genere electo, mutet. Huc referri merentur elegantissima Senecæ verba l. 4. de benefic. c. 35. Tunc fidem fallam, tunc inconstantia crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quæ erant, promittente me, non præstitero promissum: alioquin quicquid mutatur, libertatem fecit de integro consulendi, & meam fidem liberat. Cavendum vero hic est, ne aliquam circumstantiam minus principalem vel extrinsecam pro tali habeamus, quæ promissionis substantialia immutare possit. Quod Moralistas Pontificios quam sæpissime facere notum est. Merito itaque a Dn. D. Albert. part. 2. p. 129. ii notantur, qui apud Tannerum Tom. 3. Theol. Scholast. disp. 1. quæst. 9. dub. 4. n. 116. censent, promissum hæreticis datum ulterius non obligare, quam quousque rerum circumstantiis non mutatis, ipsa hæresis, secluso etiam promisso aut pacto illo, tolerari potuisset. Qui libet

sibet enim animadvertit per circumstantias tales ab iis tantummodo innui circumstantias temporis & loci, a quibus omnem promissionum suarum vim aut valorem pendere autumant, quatenus nimirum hæreticis vel usui vel damno esse queunt. Quantumvis autem hac ratione, Jure naturæ non adversante, fides in supradictis casibus, si mutatio materiæ vere facta fuerit, non sit servanda; interim tamen æquitas requirit, ut omnibus modis atque mediis, si alias nonnulla supersunt, adhibitis, annitatur, ut materia, si possibile est, ad statum pristinum reducatur, quo tam promittens, quam promissarius officio suo satisfaciatur, atque pro virili illud præstet, quod in statu integritatis præstitum fuisset. Fidem enim in statu integritatis servatam fuisse constantissime, vel ex sola fide conjugali certo probari potest. Vid. Gen. 2. v. 24. coll. Matth. 10. v. 8. ubi Salvator ipse asserit, vi illius fidei divortia in statu integritatis nullatenus obtinuisse. Si ergo fides non servanda est, si materia in alium statum transferatur; multo minus promissum adimpleri poteri, si res promissa planè interierit, vel ejus copiam habere non possimus.

§. 26.

In specie hic quærere licebit, an Princeps aliquis obligatus sit prædecessorum suorum promissionibus insistere, fidemque ab illis licite datam servare. Communiter ad hoc affirmative responderi solet, his tamen additis limitationibus (1.) nisi a defuncto data fides vergat in grave subditorum damnum vel præjudicium, quorum res, atque fortunæ iniqui Principis sui conventionibus atteri & diminui non debeant. (2.) nisi prædecessoris fides data sit, non ut a Principe, cujus est successor. Tunc enim obligatio illa personalis ad successorem non est extendenda. Contra si fides nomine publico data fuerit, non tam persona defuncti, quam totum imperium, quod pro immortalibus habetur, promississe putatur. (3.) nisi Princeps expresse mutationem voluntatis antecessoris sibi reservaverit. Quo sane casu nulli injuriam infert, dum jure, quod sibi, altero non invito, reservavit, utitur. (4.) nisi Princeps successor bello vincat subditos, eosque in servitutem redigat, quam ultimam limitationem addimus ex Grot. l. 3. c. 20. §. 6. Alii in hoc negotio distinctionem adhibent inter Principes, qui per electionem, & inter eos, qui per hæredita-

ditariam successione illud fastigium sunt consecuti, ac non priores (quippe qui jus non ab illo accipiunt, qui modo obiit, sed potius a toto populo, qui Principem elegit) sed posteriores obligari dicunt.

§. 27.

Quemadmodum autem ad fidei constantiam & conservationem quamplurimum conducit, si affectus hominem ad fidem servandam impellentes (qui non incommode objectum præstationis fidei internum vocari possent) rationi obtemperent: * Ita forma præstationis fidei in eo consistit, ut promissioni recte factæ atque intellectæ, cujuscunque illa tandem generis ac gradus sit, promittens juxta legis præscriptum ac normam satisfaciat, & illud, quod obligando fidem suam promisit, reapse exhibeat. Dico: acceptanti. Sicuti enim acceptatio ad promissionem validam maxime est necessaria, adeo, ut ante eam fidem datam sine omni nota injustitiæ atque inconstantia revocare queas; quia sine ea obligatio suas vires accipere non potest: ita etiam acceptatio adesse debet, si promissa præstamus. Illa autem promissorum præstatio legitimo modo fieri debet, ita, ut fidem nulli alii personæ, quam illi ipsi, cui dedimus, servemus, nec ullis cavillationibus promissa eludamus, vel per levitatem alium in sensum retorqueamus.

§. 28.

Hinc facile de Fine præstationis fidei judicari potest. Servanda enim promissa sunt ideo, ut exhibitis mutuo officiis, communi utilitati & publicæ salutis serviantur. Nobis enim solis, ait Cic. l. i. Offic., nati non sumus, sed aliorum potius hominum causa generati, ut alter alteri possit prodesse. Quid autem ad Remp. conservandam magis necessarium esse possit, quam ut fides, qua hominum conciliatur benevolentia, in contractibus servetur? Tolle hanc, & facillimo negotio totam societatem aut omni incremento privabis, aut plane dissolves. Uti ergo supra ad promissionem & con-

* Duplex vis animorum & naturæ, una pars in appetitu posita est, quæ hominem huc illuc rapit; altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumve sit; ita fit, ut ratio præsit, appetitus vero obtemperet. Cic. in Offic.

conventionem de rebus vel officiis alteri futuro tempore præstandis
Jure Naturæ licitam requirebatur ille finis, ut tendat ad utilitatem
partis vel alterius vel utriusq; sine ullo proximi præjudicio; ita etiam
finis præstationis fidei esse debet utilitas partium, ita tamen, ut tertio
nullum plane detrimentum inferatur. Vid. Wolff. Comment. in Cic.
1. Offic. p. 154. ubi monet, cavendum esse, ne in gravioribus potissi-
mum negotiis spe emolumenti majoris a fide data recedamus.

§. 29.

Ex his ita declaratis fuit illa præstationis fidei definitio: Præsta-
tio fidei est actus moralis, quo homo omni homini, quatenus talis est,
in rebus possibilibus & honestis, in alium statum non translocatis, nec
ab alio superiore præcepto impeditis, promissionem sufficienti modo
factam, solvit, eidemque satisfacit ad salutem publicam promovendam.

§. 30.

Analyti hæc data qualiscunque definitio nulla plane indiget,
cum omnes circumstantiæ, quæ differentiam specificam constituunt,
superius ordine, & ut speramus, sufficienter fuerint explanatæ. Ut
de Genere definitionis, quod actum moralem esse diximus, tantum
aliquid addamus, quilibet facillime deprehendet, illud legitime a
nobis adhibitum esse, cum tam competentia, quam latitudo id clare
innuat. Vere enim pronunciamus: omnis præstatio fidei est actus
moralis; minus autem recte efferas: omnis actus moralis est præsta-
tio fidei. Quæ ex Logicis cuivis nota sunt.

§. 31.

Nihil ergo superest, quam ut de Opposito Præstationis fidei
nonnulla adjiciamus, scilicet de *ἀπιστία* seu perfidia, qua fides da-
ta malitiose frangitur. Dico: malitiose. Fidem enim interdum
licite sine ullius perfidiæ stigmate frangi posse, ex superioribus jam
constare potest. Conferatur insuper dissertatio sub præsidio Joh.
Volckm. Bechmanni Jenæ 1673. habita, cujus titulus est: Ubi fides
non servanda, §. 3. Fractio autem fidei malitiosa est, quæ fidei legi-
timæ præstationi e diametro opponitur. In genere fracta fides ni-
hil aliud est, quam dictorum conventorumque contraventio, uti de-
scribitur a Petro Mullero Jcto Jenensi in dissert. de Fide fracta, su-
perius

E

perius

p̄rius laudata, in q̄va de fide fracta (1.) superiorum paribus data
(2) a magistratu data subditis & vice versa (3.) a Domino data va-
fallo & vice versa (4.) à Dominis data servis, a Patre filiis & vice
versa (5.) conjugum sibi invicem data (6.) inter se contrahentium
(7.) in judicio agentium (8.) hostibus, piratis & prædonibus da-
ta (9.) delinquentibus data (10.) ab his, qui urphedam jurant, pro-
lixè satis atq̄ve erudite agitur. Quæ allegasse sufficiat, cum nonnul-
la huc transferre nobis nec libeat, nec liceat. Quo major autem
præstationis fidei legitimæ est utilitas; eo tristior perfidiæ solet esse
eventus. Id quod exemplis facile illustrari posset, nisi quotidiana
experientia loqueretur. Illud saltem adhuc notamus, quod ad per-
fidiam etiam referendum sit, si τὸ ῥητόν seu verba nimis rigide obser-
ventur, cum tamen per ea fraudulenter concepta mens non satis cla-
re atq̄ve candide aperta fuerit. Quo pertinent ii, qui, induciis ali-
quot dierum factis, noctu tamen hostem invadunt; it. exemplum
Rhadamisti, qui Mithradati quidē adjecto jurejurando promisit, se nec
ferro nec veneno illi vim illaturum; interim tamen eundem alio
modo interfecit. Conf. Tacitus Annal. l. XII. §. 10. Talis autem ver-
borum fallacia, quia ex pessima intentione oritur, remq̄ve eam celat,
quæ nullatenus erat celanda, imo etiam proximo damnum præsentif-
simum minitatur, omnino pro illicita est habenda. Conf. de Verbo-
rum Interpretatione Grot. l. 3. c. 2. §. 14. 15. ubi potius laxam, quam
strictam observandam, esse judicat.

§. 32.

Et hæc sunt, quæ pro virili hac de materia, difficultatibus certe
non unis obnoxia, in medium proferre volui, potui. Si qui forte
errores admissi fuerint, veniam spero Benevolum Lectorem mihi
haud quaquam denegaturum, cujus etiam benignam infor-
mationem atq̄ve correctionem animo quam gra-
tissimo agnoscam.

DEO sit laus & gloria.

Ad

Ad Eruditissimum Dn. **RESPONDENTEM**

DE

FIDE SERVANDA

Disputaturum.

Non violanda fides! Scribis fidissime. Laudem
Nulla potest ætas hinc violare tuam.

*Boni ominis ergo, inter varias occupationes ex
fido pectore scribeb.*

JO. OLEARIUS D. & PP.

Canonicus Cizensis, & Facult. Theol.
J. r. Decanus.

Ad

Doctissimum Dn. **FISCHERVM.**

Qui semel adstrinxit *fidei* se nexibus arctis,
Huic quoque servanda est inviolata *fides*;
Si modo non violent divinas vincula leges
Vulnera nec mentis deïn metuenda fient.
Nec Gentes aliter statuunt; Gens ergo faceffat,
Quæ sibi de JESU nomina sancta dedit.
Namque illi hæreticis, Lojôlæ castra sequentes,
Servandam haud clamant ore fremente *fidem*.
Clarius ast isthoc *Claro* sub *Præside* monstras,
FISCHERE, Aonii portio cara chori.
Perge age, quamque *fidem* Phoëbo, Dilecte, dedisti;
Serva, servabit pollicitum ille suum;
Quin Tibi promissum mox conferet ille brabæum,
Servator fidei sic quoque & ipse erit.

properab.

L. JOACHIMUS FELLERUS,

PP. & Acad. Bibliothecar.

MI FISCHERE, diu studio piscatus in undâ
Aoniâ, nobis nunc tua lucra probas.

Perge!

Perge ; Deus faciet , sanctâ ut pisceris in Æde
Et capias homines , munera danda polo.

*Paucis hisce Auditori suo hætenus per-industrio, Amico
honoratissimo dilectissimoq³, cum publicum erudi-
tionis suæ specimen ederet. gratulari animitus voluit*

M. JOHANNES Günther/
SS. Theol. Baccal. & ad D. Nic. Conc.
Sabbath.

Quam servare fidem , certe nil pulchrius usquam ;
Nobilius nihil est , quam sua pacta sequi.

Hoc jamjam dum rite doces , mi dulcis amice,

Grata sacro Pindo dignaque laude facis.

Gratulor hinc merito , exoptans , ut ob huncce laborem,

Dante Deo , quondam præmia larga feras !

*Per-eximio Dn. Autori hæcce præni affectus
testandi gratia apponere voluit*

M. Gottfried Gleitsmann. Præs.

Dum docte scribis cathedramque ascendis , Amice ;
Applausus Musæ , Patria dona parat.

*Dn. Autori-Rdenti, Commensali, Fautori ac
Amico suo gratulab. f. Lipsie*

M. ANDR. Friedel.

Comprobat ingenii magnas sic Lipsia dotes,
Olim quod fecit nostra Salana Tui.

Ulterius , Dulcis , quas mox , Fischere , probabit,

Laurea ferta Tibi dante, datura, Deo.

*Hæc Dn. Commens. & Amico suo olim Jenæ &
hætenus Lipsie jucundissimo gratulab. proper.*

Henr. Jac. Stern / Saalfeld. SS. Th. St.

In Cathedrâ doctam Phæbo committere pugnam

Dum audes , fortis abi ; Victor , Amice , redi.

Hoc si præstiteris , victricis præmia palmæ

Dextræ , sic capiti splendida laurus erit.

sic gratul. Dn. Rdenti, Contubern. & Commens.

Henricus Lucht Schenckenb. Misn. SS. Th. St.

ULB Halle
003 004 007

3



Sb.

VDM





299.

M. 60.4
1687, 5
6

DISSERTATIO
De
FIDE
SERVANDA,

quam
in
ALMA PHILUREA

Benevolo permisso
Inclutæ Facultatis Philosophicæ,
SUB PRÆSIDIO

M. GOTHOFREDI
Gleitsmanns /

Leucop. Misn.

Fautoris sui perquam honorandi,
publicæ placidæq; *συνήγορος*

IV. ~~Præd.~~ Calend. Jan. M. DC. LXXXVII.

subdit

A. & R.

SAMUEL FRIDERICUS Fischer /

Ponicio - Altenb. Misn.

Phil. & SS. Theol. Stud.

Alumnus Trillerianus.

LIPSIÆ,

Stanno WITTIGAVIANO.

1/2

